

Psalmus 47

- 1 Magnus Dominus, et laudabilis nimis,
in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.
- 2 Fundato exsultatione universae terrae mons Sion,
latera Aquilonis, civitas Regis magni.
- 3 Deus in domibus ejus cognoscetur,
cum suscipiet eam.
- 4 Quoniam ecce reges terrae congregati sunt,
convenerunt in unum.
- 5 Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt:
tremor apprehendit eos,
- 6 Ibi dolores ut parturientis:
in spiritu vehementi conteres naves Tharsis.
- 7 Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri:
Deus fundavit eam in aeternum.
- 8 Suscepimus, Deus, misericordiam tuam,
in medio templi tui.
- 9 Secundum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terrae:
justitia plena est dextera tua.
- 10 Laetetur mons Sion, et exsultent filiae Judae,
propter judicia tua Domine.
- 11 Circumdate Sion, et complectimini eam:
narrate in turribus ejus.
- 12 Ponite corda vestra in virtute ejus:
et distribuite domus ejus, ut enarretis in progenie altera.
- 13 Quoniam hic est Deus, Deus noster in aeternum et in saeculum saeculi:
ipse reget nos in saecula.